



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. XXIII. Neque divini Judicis metum justam esse causam, cur fidelibus Dei servis minùs grata esse mors debeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

CAPUT XXII.

Neque divini iudicii metū iustam esse causam, cur fidelibus DEI servis minùs grata esse mors debeat.



Verissima, & rationi apprime consentanea essent, quæ dixisti hactenus, (respondentem hîc audire mihi aliquem videor) si, quod extra controversiam videris ponere, idem foret migrare è terris hominem, & cælum conscendere, lucique huic sensibili oculos claudere, & divinæ visioni aperire. Si se ita res haberet: O mortem sanè beatissimam! ô stultissimum, quicumque eam non suspiraret. Atqui non ita contingit: mors enim non magis cæli, quàm orci janua est, quin multò plures ad æterna supplicia, quàm ad æterna gaudia transmittit. Et, quemadmodum è carcere emitti non omnibus felix, faustumque est, cum indè egredientium multi quidem libertatem recuperent, sed & multi ad patibulum ducantur; sic neque mors, quamvis animam è terreni corporis carcere educat, desideranda potius, quàm timenda homini est, qui com-

per-

pertum non habet, quoniam indè exiens pro-
 fecturus sit, ad æternamne filiorum DEI li-
 bertatem, an ad æternas inimicorum DEI
 pœnas? Et tamen quocuique compertum
 id est? Scimus quidem, majorem eorum nu-
 merum esse, quos secunda fors excipit: sci-
 musque itè, nullum esse mortaliu, qui
 non in magno versetur illius subeundæ disci-
 mine: formidolosissimæ dimicationis causâ,
 quam in supremo vitæ exitu initari omnes su-
 mus cum dæmone, hoste tam valido, ut non
fit super terram potestas, quæ comparetur ei:
 (Job. 41.) & hoste, qui gnarus illud sibi ulti-
 mum esse, ac decretorium nobiscū certamen,
 ultimos quoque suarum virium, suæque artis
 conatus ad nostram perniciem ibi exeret: qua-
 si coluber, qui peculiari ratione *insidiatur cal-
 caneo nostro*, nempe, ut interpretatur Cassia-
 nus, (L. 4. c. 7.) *exitui nostro*. Cui propte-
 rea quàm timendum est, nè imbecillitas nostra
 succumbat, & nunquam non maxima, & tan-
 tò tunc major, quantò minorem nobis, con-
 fusiorèmq; mentis usum mortis proximæ
 angores relinquent? *Væ terræ, & mari, quia
 descendit diabolus ad vos, habens iram magnam,
 sciens, quòd modicum tempus habet.* (Apoc. c. 12.)
 Neque hic terrores desinunt: sed huic primo
 Væ

Væ novum aliud, & quidem formidabilius ac-
 cedit, lex nimirum omnibus dicta, compa-
 rendi vix obita morte ante tribunal Christi:
 Judicis toties à nobis offensi, justasque ira-
 cundiæ adversus nos causas habentis: Judicis,
 qui vel minima quæque totius vitæ nostræ fa-
 cta, dicta, & cogitata severissimum ad exa-
 men vocabit: Judicis, qui suâ tunc sepositâ
 infinitâ cæteroqui clementiâ ad exactæ nor-
 mam justitiæ de unoquoque statuet, præsentia
 duntaxat reorum merita attendens, certusque
 propterea inexorabili decreto in perpetuum
 damnare, quemcunque gravis culpæ consci-
 um deprehenderit, esto is sanctissimam per
 sexagenos, & octogenos pridem annos vitam
 duxisset: Judicis tandem, è cujus sententia
 gravissimum pendet nostræ seu æternæ beati-
 tudinis, seu æternæ infelicitatis negotium.
Nemo credit, nemo credit, nemo credit, ter repe-
 tisse fertur pii hominis anima, cum post ex-
 cessum è corpore veteri amico se intuendam
 dedisset: rogantique, quidnam illud foret,
 quod à nemine crederetur, subjecit: *Quàm*
districtè DEUS judicet, & quàm severè puniat.
 (Spec. Ex. D. 9. Ex. 98.) Quonam igitur pa-
 cto, nihil certi habentes de futuro rerum no-
 strarum exitu, desiderare potius, quàm time-
 re

re tam difficilis pugnae, tamque ancipitis iudicii tempus poterimus? Quomodo læti potius, & gestientes de illo cogitare, quam ad memoriam illius contremiscere.

2. Præsertim quoad confirmandos, exaggerandósque id genus terrores accedunt complurium exempla, qui opinione hominum sancti haud tales reperti sunt in severiore supremi Judicis trutina, sed vel revelata eorum damnatio est, vel salus in ambiguo relicta. Ceu inter alios ille apud Joannem Climacum eremi incola, qui, cum quadraginta annis insigni cum vitæ austeritate, sanctimoniamque, & rerum admirabilium fama DEO serviisset; imminente jam obitu cernebatur, attonito vultu trepidos huc illuc oculos vertere, tartareo accusatori respondens, aliàs, mentiris sycophanta, nunquam id patravi; aliàs, fateor, me hoc admisisse, verum tot jejuniis noxam elui; aliàs, hinc verò, quid reponam, non habeo. Secundùm quæ verba supremum spiritum, non sinè magno adstantium terrore exhalavit: *quod iudicium*, (ceu nominatus modò sanctus Scriptor concludit) *quis terminus, quæ sententia, quis rationis ejus finis fuerit, penitus incertum relinquens. Va, va. Ubi erat Ezechielis vox, quam illis objiceret, in qua-*

quacunque hora ingemuerit peccator, saluus erit?
 Verè nihil huiusmodi respondere potuit. (Grad. 7.)
 Speramus nos equidem absque criminis sal-
 tèm capitalis reatu ad severum illud tribunal
 profecturos: sed neque contrarium impossi-
 bile est. Et, si fortè, quod avertat DEUS,
 eveniret; quid heu (mens ad teterrimam spe-
 ciem tota horrore percellitur) quid, inquam,
 nobis miseris fiet? audituris scilicet supra nos
 cadere ab irati iudicis ore, fulminis instar e-
 rumpens, irrevocabile illud: *Discedite à me*
maledicti; eodèmq; ipso temporis puncto in
 funestissimum æternæ mortis barathrum sinè
 ulla vel ope, vel resurgendi spe prolapsuris?
 Nectalis eventus hic est, ut vel mera illius
 possibilitas ad extremum incutiendum terro-
 rem sufficiat? Sanctissimi certè viri eum nun-
 quam memoriâ repetebant, quin sanguinem
 sibi congelari, & cor tremulo motu palpitare
 sentirent. Quisnam inter suorum æquales
 temporum sanctior, quàm Jobus, patientiæ
 prodigium, commendatúsque à DEO ipso,
 (c. 2.) *Quòd non esset ei similis in terra?* Qui ta-
 men consternatus, atque attonitus clamat:
 (c. 31.) *Quid faciam, cùm surrexerit ad judi-*
sandum Dominus? Et, cùm quæsierit, quid respon-
 debo ei? Quisnam inter Israël Reges perfe-
 cti-

etior Davide, viro (ut nihil ultra addam) secundum cor DEI? Qui nihilominus, minutissimam DEI in quibusque nostris actibus examinandis subtilitatem animo reputans, humili cum terrore eum deprecatur: (Ps. 142.) *Nè intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Cùmque istiusmodi heroës divinum iudicium adeò expavescant, nos homunciones mille criminum rei, illius tempus votis sollicitabimus dicentes: *Propera ô mors! & divino quàm primùm tribunali nos siste, immutabilem accepturos, qualiscunque nostræ sortis in futura omni æternitate, sententiam?*

3. Talis est ratiocinatio, quam nonnulli hinc constituunt: existimantes propterea, non modò non culpandos exiguæ fidei, & charitatis se esse, quòd à morte ad divinum tribunal citari vel nunquam, vel quàm tardissimè cupiant; sed è contrario temeritatis potius notam commerituros, si aliter affecti animo essent. Et quidem, si à nefariis, & sceleratis hominibus jactari hæc audirem, neutiquam inficiarer, justissimam esse illis causam mortem timendi: quin imò eos insuper stimulam ad illam vehementiùs timendam: utpote quæ, nisi ad meliorem frugem se recipiant,

præ-

præcipites illos datura in sempiternæ infelicitatis barathrum sit, omni mortuos lætitiæ, & soli jam deinceps luctui, ac desperationi victuros. Quanquam neque in ipsis probarem desiderium vel nunquam, vel quàm tardissimè eam oppetendi: quippe quòd in eorum animo non tam ex mortis metu, quàm ex peccati amore originem ducit. Cùm enim mors iis tantùm funesta, & horribilis sit, quos peccati reos deprehendit; quando ipsi ex illius metu statuerent, sua crimina per pœnitentiam delere, nequaquam ea ipsis tunc funesta, & horribilis, sed qualem justis experiuntur, fausta potius, atque amabilis foret: nec proinde superesset jam ratio, cur illius dilationem magis, quàm celerem adventum optarent. Dum igitur eam, quàm tardissimè fieri possit, advenire cupiunt, manifestè hinc apparet, non habere eos voluntatem emergendi, nisi quàm tardissimè, è suorum criminum sordibus: & consequenter non timeri ab iis mortem nec quantum, nec quomodo esset timenda. Non quantum esset timenda: cùm ejus timor non sufficiat ad illos à peccato avellendos, verùm magis hoc ament, quàm eam timeant. Sed neque, quomodo esset timenda. Cùm enim timor insitus à natura homini sit, non ut ani-

mum inutiliter cruciet, sed ut acri, molestoque suo sensu ad malorum, à quibus excitatus est, fugam impellat, verus, & prudens timendi modus est, adhibere omne studium ad malum, quod timetur, arcendum, arcendamque ità simul cum illo, quæ ex illius præsentis discrimine orta est, anxietatem, ac molestiam timoris, quod neutiquam ipsi faciunt: mortem quidem timentes, sed nihil interea solliciti de fugiendis peccatis, quæ sola eam terribilem faciunt: & quibus remotis nullam ultra haberent timendæ potiùs, quàm desiderandæ illius causam.

4. Ità, inquam, objicientibus talia flagitiosis, & nequam hominibus responderem: ultro iis permittens, imò etiam commendans, & suadens, ut mortem, quamdiu malè vivunt, timeant: sed timore fructuoso, & efficaci, à quo nempe impellantur ad meliùs deinceps vivendum, omnè in hunc modum timendæ sibi potiùs, quàm desiderandæ mortis causam tollendam. *Cùm enim, inquit Augustinus, Judex vivorum, atque mortuorum expectatur è cælo, magnum terrorem incutit negligentibus, ut se ad diligentiam convertant, eùmque magis bene agendo desiderent, quàm malè agendo formident.* (*De Doct. Chr. L. 1. c. 15.*) Sed quoni-

niam sermo hęc mihi est cum hominibus spiri-
ritualem jam diu vitam professis, quique ni-
hil magis, quàm lethalem culpam perhorre-
scunt, nihil student enixius, quàm in DE I a-
more, & animi puritate proficere; responsi-
one hac omissa, duo his contra supradictos
terrores propono, & demonstranda suscipio.
Primum, nullam iis idoneam esse causam, cur
mortem, & divinum tribunal secus aspiciant,
quàm ut viam ad regnum cæleste. Alterum,
etsi aliquo inquietarentur circa æternam sa-
lutem suam metu, debere eos nihilominus
mortis potiùs adventum, quàm dilationem
optare. Et quantum ad primam propositio-
nem, statuo, tanquàm fidei dogma certissimum,
& à nemine in controversiam vocandũ, quis-
quis divinæ compos gratiæ è vita discedit,
quotcunque, & quorumvis criminum reus
antea fuerit, æternæ salutis sententiam in di-
vino judicio referre: & proinde, quanta cui-
que est ratio credendi, moriturum se divinæ
compotem gratiæ; tantam quoque rationem
ei esse, cur credat, divinum iudicium nihil si-
bi aliud, nisi viam ad æternam salutem futu-
rum. Hoc igitur pacto, nõne suprà demon-
stravimus, hominem, qui plures jam annos
divinæ charitati, & consuetudini operam dat,
S s 3
qual-

quascunque etiam leviores DEI offensas sollicitè cavens, & ulteriùs in Christianæ perfectionis curriculo progredi laborans; de divinæ in se gratiæ præsentia posse esse moraliter certum? Quidni igitur æquè certus esse ideoqueat, si à morte ad divinum nunc tribunal citetur, æternæ se ibi salutis relaturum sententiam? Aut quidni certus de hoc, mortem non aliter intueri, quàm æternæ salutis januam possit? Aut quidni ut talem eam intuens ægre ferre illius moram, & adventum optare quàm celerrimum debeat? Præsertim quòd, quancumque illa instet, novissima supersunt Sacramenta, quibus ad eam rite obeundam se munit, novamque proin moralem sibi adjungat certitudinem divinæ gratiæ in supremo è vita discessu obtinendæ. Moralem certitudinem, dixi: cum nulla sit probabilis metuenti ratio, nè, qui tot jam annis sanctiorem vitam profitetur, & intimæ cum DEO necessitudini vacat, rem tanti ad æternam salutem momenti, quanti exomologesis ultima est, non legitimè, & cum necessariis conditionibus peragat, divinamque gratiam, etsi fortè illius expers fuisset ante suum è mortali vita discessum recuperet.

5. Neque obest, quòd hujusmodi certitudo non excludat possibilitatem dubitandi, & timendi de eventu contrario. Aliàs quippe jam ostendi in rebus, quæ majorem morali certitudinem naturâ suâ non recipiunt, hanc debere prudentibus viris sufficere: adeò ut metaphysicam contrarii possibilitatem minimè attendant, neque illius causâ inquietentur, juxta illud Aristotelis dictum: (L. I. Eth. c. 3.) *Eruditi est, in unaquaque re certitudinem quærere pro exigentia materiæ. Nam & Mathematicum suasionibus utentem approbare, & ab Oratore demonstrationes exigere, simile vitium videtur.* Unde fit, ut, quamvis nihil cuique hominum suâ vitâ sit chariùs, neque alioquin impossibile factu sit, terram nobis sub pedibus repentino casu quopiam dehiscere; omnes tamen illi insistunt, supérque ea deambulant, non minùs de prædicto casu solliciti, ac si eum omnino impossibilem crederent. Et, si fors quispiam de metaphysica illius possibilitate anxium, trepidùmque se ostenderet; irrisui, & ludibrio omnibus, tanquam fatuè timidus foret. Namque affectus timoris, prout paulò antè observavimus, non alia de causa ingeneratus à natura nostris animis est, nisi ut incitamento nobis esset ad graviora mala evitanda, nòsque

in tutum ab imminente eorum vi subducendos. Quare, ubi securitatem ab iis consecuti jam sumus, quantam hinc, aut illic consequi licet, quemadmodum nihil ultra timori efficiendum tunc superest, nullique usui jam est, nisi ut animum supervacuis angoribus cruciet; ita non nisi imprudentis hominis est, velle illum etiam tum sine ullo fructu ad meram inquietudinem in animo suo retinere. Neque quisquam objiciat, allatam modo regulam in rebus duntaxat temporariis valere: at non etiam in æternæ salutis negotio, negotio nimirum tanti supra quævis alia momenti, ut non modo pro inconsulta, fatuâque timiditate habendum non sit, de illius vel remotissimis periculis trepidare; sed in iis extra sollicitudinem esse, stupor existimari potius, ac stoliditas debeat. Nemo, inquam, id mihi objiciat: quamvis enim fatear, de prædicto negotio majorem incomparabiliter, quam de quovis alio esse nobis curam gerendam; addo tamen, hanc ipsam curam prudentiæ consentaneam, & rationi esse debere. Qualis profectò non esset, si vel majorem circa illius exitum, quam quæ haberi ab hominibus potest, certitudinem quæreret; vel, quia summam nancisci, & omnimodam nequeat, nihil profu-

futuris terroribus animum perturbaret. Certè D. Ignatius Loyola, & S. Teresia, quorum flagrantissima moriendi vota initio produxi, credi non possunt minorem, quàm par esset, curam de æternæ suæ salutis negotio gessisse; neque alioqui traduntur certi omnino de illius prospero exitu per divinam revelationem fuisse, adeò ut æternam suam damnationem prorsus impossibilem crederent. Et tamen mortis, divinique iudicii cogitatio usque adeò illorum animos metaphysica mali tam extremi possibilitate non perterrefaciebat, contristabatque, ut nullum aliud objectum vel jucundius secum retractarent, vel ardentius expeterent: hanc unam præcipuam infelicitatem suam existimantes, quòd tempus tam optabile nimis tardè adveniret. Et quod S. Teresiam attinet, satis esto ipsam audire in suæ vitæ commentario (c. 20.) palàm testantem ab incitatissimis, quibus subinde æstuabat, moriendi, adque DEI visionem perveniendi desideriis nequaquam sibi permissum fuisse, ut interea temporis seu criminum suorum magis recordaretur, quàm si nunquam ea commisisset, seu de pœnis eorum causâ promeritis plus cogitaret, quàm si hæc penitus sibi à DEO condonata fuissent. Unde colligitur, in re-

rum quoque æternarum, & supernaturalium sensu modum requiri, non utique circa æstimationem earum pretii, quæ nunquam potest esse non curta, & objecto suo impar; sed circa sollicitudinem de illarum exitu, quæ plus justo anxia esse potest: ideoque acquiescendum hic etiam nobis esse in ea certitudine, quam solam assequi possumus, certitudine nimirum morali: contendendo quidem hanc ipsam semper augere, sed citra perturbationem, quæ post quævis incrementa major semper, majorque esse potest: adeo ut neque nostra securitas deses sit, neque diligentia inquietes, sed juxta prudens Ciceronis temperamentum, & illa *omnia caveat*, & hæc *nihil metuat*, (L. II. Ep. Fam. Ep. 21.)

6. Parum tamen prodesset quies à peccati præsentis timore; si causa adhuc superesset timendi de peccatis, in quæ vel post ultima Sacramenta jamjam morituri periclitamur incidere. Et superesse illam quidem manifestum videtur ob acerrimas tum aliorum criminum, tum infidelitatis præsertim, impatientiæque tentationes, quibus hostis tartareus tunc, quam cum maximè oppugnare animas solet. Sed, si quis hæc discrimina, & eorum causam mortem perhorresceret, non alia ego uti ratione
opus

opus habeo , quàm ut ea illi repetam verba , quibus Ulysses Homericus Telemachum filium de hostium multitudine , & viribus trepidantem ad fiduciam erexit : *Cogita*, inquit, *num Minerva cum Jove patre nobis sufficiat , an alia advocanda sint auxilia.* (*Odyf. 16.*) Interrogo itaque hominem , possitne DEUS gratiæ suæ auxiliis contra quælibet inferni hostis tentationes ità nos roborare , ut salvi , atque victores è conflictu exeamus ? Respondebis nîl dubitans , posse . Interrogo rursus , credisne , plus cordi esse diabolo nostram perniciem , quàm DEO nostram salutem ? Nimis profectò injuriosum amantissimæ Patris cælestis erga animas à se conditas , & sanguine suo redemptas providentiæ esset , vel levissimè id suspicari . Cùm , ut certissimè constat , majorem finè ulla comparatione illius bonitatem , quàm malignitatem diaboli esse , & plura illum fecisse , ac tolerasse , ut nos servaret , quàm hunc , ut nos perderet ; sic extra omne dubium est , quod indè Origenes colligit , (*Hom. 20. in Lib. Numer.*) *Majorem illi curam esse , ut nos ad veram pertrahat salutem , quàm diabolo , ut nos ad æternam damnationem impellat.* Si ergo hæc ità se habent , quinquam ultra anxietati , & trepidationi superest locus ? Cûrve ad
nos

nos perterrefaciendos plùs valere tartarei hostis vires debent, quàm ad animandos tanto validiora cælestis nostri Patris subsidia? *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis,* dixit olim suo ministro Eliseus, qui exterritus multitudine hostium, nec cælestem equitatum suæ defensionis excubantem videns clamabat: *Heu, heu, heu, Domine mi! quid faciemus?* (L. 4. Reg. c. 6.) Et cur ipse etiam non similiter unumquemque alloquar, qui se moribundum, & minacibus undique dæmonum turmis circumvallatum, imaginatione sua sibi fingens, tremit, expallefcit, consternatur, & vel ante aggressionem certa penè clade percussus se putat: perinde quasi vel DEUS otiosus duntaxat spectator suæ tunc oppugnationis, suique discriminis futurus sit, vel quidquid est dæmonum plùs ad sibi nocendum, quàm ipse ad subveniendum valeret? Ah homo nullius animi, dignusque idcirco à cælesti Patre tuo deseri, cujus potentissimis, paratissimisque auxiliis stultè adeò, & contra omnem rationem diffidis. Et undenam isthæc consternatio tua est? Adeone parùm cognitam post tot illius argumenta habes plùs quàm paternam supremi tui Conditoris, & Domini erga te providentiam? Itane nondum didicisti, à nul-

lo te hostium vel impugnari posse, nisi ille permittat, vel superari, si ille defendat? Itane nihil ponderis, fideique apud te obtinent justissimæ illæ magni Ecclesiæ Doctoris Ambrosii voces, (*De Jos. c. 5.*) *Ibi plus est auxilii, ubi plus est periculi: quia DEUS adjutor est in opportunitatibus*; imò neque illæ magni Gentium Apostoli Pauli, quas tamen haud nescis ipsiusmet Spiritûs sancti esse voces, (*1. ad Cor. c. 10.*) *Fidelis DEUS est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum*? Adamantino protectus clypeo hostilia quævis tela rideres. Circumdat te undique Omnipotens scuto bonæ voluntatis suæ, & parùm tibi tutus videris? Quantumcunque immanis, & cerbero sævior molossus aliquis foret, minimè illum timeres, si à fidissimo tibi amico ità teneretur devinctus, ut nè transversum quidem digitum, ultra quam ille permittat, aspirare ad te posset. Vinctus dæmon retinetur arbitriis illius Domini, quo nullus mortalium amicorum tui est amantior, neque citra ejus permissionem vel latrare adversum te potest: tūque solo ejus aspectu penè exanimatus vociferaris: *Heu, heu, heu, quid faciemus? Quid faciemus? Audi, quid debeas facere.* Debes illius impo-
ten-

tentiam ridere, debes illi insultare, debes illius rabiem per ludibrium laceffere. Hæc sunt, quæ te facere oportet; hac securitate animi æquum est, ut inanes audias latratus, casósque impetus, & conatus spectes illius belluæ immanissimæ quidem, sed ineluctabili divinæ virtutis catenâ constrictæ. Alioquin ostendes, haudquaquam in parentis, & amici loco eum te ducere, qui eam in potestate sua habet. *Ego non percipio*, scribit S. Teresa, *has formidines, dæmon, dæmon, ubi licet respondere, DEUS, DEUS. Si enim absque hujus permissu nè tantillum quidem commoveri ille potest; unde nobis ratio timendi? (In vit. c. 25.)*

7. Quod si hæc tibi non sufficiunt ad animum justâ confidentiâ erigendum, sed pergis id honoris dæmoni tribuere, & hanc DEO injuriam facere, ut ejus præfidiis parùm te validum, tutumque arbitreris; saltèm fatere, ab ignava duntaxat exilitate, & contractione animi ad ità sentiendum te impelli: neque aut tibi persuadeas, aut illi persuasurum te putes, tuas id genus dubitationes, & formidines cum Christianæ humilitatis officio, tanquam proprios illius actus congruere. Cùm nemini, vel tenuissimam prædictæ virtutis notitiam habenti, non perspicuum sit, quàm propriè ad

ad eam pertineat, ut nihil spei homo in virtute sua ponat; tam nihil prorsus ad eandem facere, quòd divinæ virtuti diffidat. Quid enim? parùmne humilem se prodebat Regius Vates, cùm caneret: (Ps. 117.) *Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos;* & alibi adhuc confidentiùs, (Ps. 22.) *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es?* Nemo sanè id putaverit. Totà quippe illius fiducia, & securitas non propriis, sed DEI unius innitebatur viribus: neque parùm existimari humilis quisquam potest, quòd in aliena, sed quòd in propria sua virtute confidat. Illius itaque exemplo firmissimè, & extra omne dubium apud nos statuamus, imbecillitatem nostram nullo modo per se unam posse hostis tartarei vim sustinere; & hoc nobis ad humilitatem sufficiet: sed pro certo simul habeamus, quantacunque nostra imbecillitas sit, nihil posse eam obstare, quominùs DEO protegente contra quaslibet hostium oppugnationes invicti perstemus; & hoc humilitati nostræ robur, magnitudinèque animi adjunget: adeò ut, quàm indubitanter confidimus, divinam nobis bonitatem in nullo unquam discrimine defuturam; tam indubiam de periculosissimis quibusque certami-

minibus expectemus victoriam: & dæmonem, quem, si solis congregandum nobis cum eo esset, formidaremus, quasi horrendum leonem; DEI auxiliis subnixi non pluris faciamus, quàm muscam, aut culicem. *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero. Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos. Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos. (Ps. 26. & 17.)*

8. Sed enim verò, quàm commendata in sacris Paginis, rationique consentanea, & efficax ad quodvis beneficium à DEO promerendum, firma hæc, atque immobilis paternæ illius opis fiducia sit, satis jam alibi demonstratum est. Quare illò remittens, qui eam nondum fors in animo suo penitus concepisset; pergam porrò argumenta quædam diluere, quæ contra hîc assertam famulorum DEI de felici vitæ exitu securitatem duci possunt, partim ex formidolosissima severitate, quam divino iudicio tum hagiographi libri, tum sacri Doctores attribuunt; partim ex fe-

rali damnationis sententia pronuntiata in eo adversus plures, qui in communi apud homines sanctitatis opinione ad extremum usque spiritum vixerant; partim ex sollicita, anxiamque trepidatione, cum qua sanctorum virorum nonnulli toto penè vitæ suæ tempore præstolati illud sunt. Ut ergo à divini iudicii severitate ordiar, dico, posse hanc bifariam spectari: nimirum vel secundum irrevocabilem æternæ mortis sententiam certissimè ferendam de omnibus, qui gravis culpæ rei è vita migraverint, vel secundum minutissimam rationem, & rigidissimam licèt temporariam satisfactionem, quæ de minimis etiam quibuslibet totius vitæ noxis ibi exigetur. Quantum itaque ad primam partem, nego, divinum iudicium ratione illius perhorrescendum absolutè esse, nisi gravium criminum consciis, & qui nè in extremo quidem vitæ cardine à sua resipiscant nequitia. Quantum verò ad secundam fateor ipsis etiam DEI famulis, & amicis esse illud terribile: sed tamen non ità, ut vel jucundam æternæ salutis expectationem iis auferat, vel hujus respectu non incomparabiliter magis desiderandum, amandumque ab iisdem sit, quàm propter qualescunque temporariæ illius satisfactionis pœnas timendum.

T t

9. Pro-

9. Progrediendo jam ad alterum objectionis caput, respondeo: probitatem illorum, qui divino in judicio condemnati sunt, esto sancti ab hominibus viderentur, adumbratam, & fictitiam fuisse, nec aliud nisi merum callidæ simulationis fucum, quo interiora conscientiæ probra obtegebant: ut proinde mirum non sit, si supremi judicis oculus, cui nuda, & aperta sunt omnia, fontes deprehenderit, illóque perculerit sempiternæ damnationis fulmine, quod ipsimet agnoscebant, suis jure flagitiis deberi. Cæterum, si loquamur de hominibus solidè piis, & qui longo ante obitum tempore innocenter, sanctèque vixerunt; ego sanè ex his neminem me legisse usquam memini, qui ob crimina vel sibi ignota, vel novissimo in morbo commissa, damnatus ad inferos fuerit. Neque talis ullo modo existimari potest memoratus ille suprà à D. Joanne Climaco vitæ solitariæ professor. Vel enim peccata, quibus à tartareo accusatore objectis fatebatur moriens se nescire, quid responderet, haud erant lethalia, vel nescire, quid iis responderet; significabat, se haud posse neque inficiari, quòd ea perpetrasset, neque ullam peculiarem satisfactionem producere, qua omnem eorum nomine sibi debitam peccatam

nam luisset, quibus duobus modis circa alia responderat. Cùm incredibile omnino videatur, illum, si sanctè adeò, ùt refertur, vixerat, aliquo se olim gravi crimine obstrinxisse, quod nunquam in Pœnitentiæ Sacramento vel expressè, si illud menti occurrebat, vel, si memoriâ exciderat, saltèm implicitè confessus, detestatusque esset: & cujus veniam propterea, quod ad culpæ reatum pertinet, & æternam incolumitatem fat est, non obtinisset. Præterea, quid quæso, impedimento ei erat, nè illa ipsa crimina, posteaquam à dæmone objecta sibi fuerant, protinus per confessionem, ac pœnitentiam expiaret? remedio nimirum, quod in eiusmodi casibus à quovis vel ordinariæ virtutis Christiano homine adhiberi solet, & adhibitum quæcunque peccata abolendi vim habet, juxta fallere nesciam Ezechielis, imò DEI ipsius promissionem, quam nimis injuriosè de D. Joanne Climaco sentiret, si quis ab eo revocatam in dubium arbitraretur, quando illud epiphonema addidit: *Væ, væ. Ubinam erat Ezechielis vox, quam illis objiceret: in quacunque hora ingemuerit peccator, salvus erit? Verè nihil horum respondere potuit.*

10. Postremò , quod ad sanctorum viro-
rum exempla attinet , non sanè inficias ierim ,
ex eis aliquos , fortè quia tristioris ingenii , &
naturâ ad timendum propensi erant , divini
iudicii diem solito cum metu expectâsse. Ve-
rùm jam aliàs demonstravi , rectè agendi nor-
mam certius à ratione , quàm ab exemplis eti-
am præstantium virorum peti. Adde, quòd,
etiamsi hæc præcipuè intueri liberet : nulla æ-
quiparatio numeri est inter paucos illos egre-
giæ sanctitatis viros , qui ad supremi Iudicis
tribunal pavidi , deque causæ suæ exitu anxii
migrârunt ; & tam multos alios DEI servos ,
qui horam eò proficiscendi non aliter , quàm
ut amplissimarum mercedum , & immortalium
coronarum tempus magna cum alacritate
expectârunt. Quorum & nonnullos jam
commemoravi , nec prætermittendum puto ,
quin alios itèm quosdam hic pergam attexe-
re : veluti Mariam à Cruce , usque adeò , dum
ægotaret , præ mortis expectatione hilarem ,
ut , si convaluisset , merus frustratæ tam dul-
cis spei dolor sat validus , ceu ipsa affirmabat ,
ad inferendam sibi mortem fuisset : (*In vit. S.
Teres. L. 2. c. 14.*) veluti Antoniam à S. Hya-
cintho , quæ rogata , cur effusè adeò jam jam
moritura gestiret : nam cur non gestiam , re-
spon-

spondit, cùm DEUS è mortali hoc carcere ad immortalem suam gloriam me vocet? (*Le Blanc. in Ps. 121. art. 1.*) Veluti Theodoram Landiam, & Mariam Venetam, (*Id. Ibid.*) quarum prior, vultu ad risum composito, interque has voces: *Cum Christo meo & sui, & sum, & ero*, exultantem spiritum Conditori suo reddidit; altera præ vicinæ mortis gaudio *ad cælum*, exclamavit, *ad cælum*. Adde his Fulviam Sergardiam matronam Senensem, genere, & pietate, sed magis pietate illustrem: (*Rho. Hist. Virt. L. 2. c. 3.*) quæ, accepto mortis proximæ nuntio, musicos acciri ad se iussit, ut festivo modulatu concelebrarent novi, & melioris sui natalis solennia. Adde præclarum; illud Romanæ purpuræ decus, Cæsarem Baronium, qui cùm novissimæ pro fausto ipsius morientis exitu recitarentur preces, hilari voce, age, inquit, *ecce, nunc tempus exultationis, & lætitiæ, moriamur.* (*Le Blanc. supra.*) Adde duos alios itè Cardinales, nempe Alexandrum Olivam ex Augustiniano Ordine, & Philippum Bavarum Ratisbonensem Episcopum: (*Rho. supra.*) ex quibus ille interrogatus paulò antè mortem, num quo angeretur timore? Et quid ego timeam, respondit, *qui hinc ad nuptias eo?* Hic verò de imminente si-

bi obitu certior factus, eja, dicit, quid moramur ad melioris vitæ usuram migrare? tum aggressus canere Davidicum illud carmen: *Dominus illuminatio, & salus mea, quem timebo?* Inter ea verba: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini,* lætus animam, quasi eò abire festinantem emisit. Adde Josephum Scamaccam nostræ Societatis Sacerdotem: (*Id. Ibid.*) qui, cùm moribundus repeteret: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus;* quæsitumque ex eo esset, ecquid cum certa salutis suæ spe moreretur; *Quid ais, ô bone? admirabundo vultu exposuit: Numquid ego Mahometo servi- vi, ut nunc de Domini mei bonitate dubitem?* Tam novum, & insolens visum illi est, servorum DEI salutem in dubium vocari. Quid dicam de S. Laurentio Justiniano? (*Severan. in Mort. Pret.*) qui domesticos circa suum moribundi lectum lacrymantes intuitus, *Abita hinc, dixit, cum vestris lacrymis. Tempus lætitiæ est, non lacrymarum.* Quid de S. Hugone Lincolnienfi Episcopo? (*Id. Ib.*) qui, cùm de instantis sui obitûs die loqueretur, dixissetque ei aliquis, illum fore judicii sui diem; *Non re- clè sentis, subjecit, non enim judicii, sed gratiæ, & misericordiæ dies erit, quo defungar.* Quid de Ele-

Electo Seraphici Patris S. Francisci non degeneri filio? (*Id. Ib.*) qui paulò antè discessum è vita contenta adeò, sublatàque voce decantavit illa Christi Domini verba: *Ascendo ad Patrem meum*; ut, quotquot domi erant fratres, tam insolito clamore excitati, ad illius cellam accurrerint. Quid de Juliano Faventino ex sacra Prædicatorum familia, (*Id. Ib.*) quem, cùm Præses cœnobii de extrema imminente sibi hora commonuisset, cœpit vultu, manibus, totòque corpore plaudentis signa edere, & suam adstantibus impertiri lætitiã, dicens: *Bonum nuntium audiui fratres. Gaudete mecum, quia multã superabundo lætitiã.* Quid de Richardo Trinchelio Sacerdote Anglo? (*Rho. Hist. Virt. L. 1. c. 9.*) qui audito adesse sibi ultimum diem, in festivas illas regalis Psalmographi voces erupit: *Hæc dies, quam fecit Dominus: exulemus, & lætemur in ea.*

II. Sed nullus esset finis, si cœlestes hujusmodi cygnos suprema voce dulciùs modulantes vellem omnes fingillatim audiendos producere. Satiùs itaque erit pro loci hujus clausula primavos recentis Ecclesiæ alumnos, illustre omnibus posteris cùm sanctè vivendi, tum hilariter moriendi exemplum afferre: quibus post exactam in famulatu DEI vitam

usque adeò nîl formidolosi, & ancipitis mors
 in se aspiciendum præbebat, adeoque amabi-
 lis non sub Patris duntaxat, sed vel sub Judicis
 nomine apparebat DEUS, ut, teste Dionysio
 Areopagita, ad æternitatem hinc discederent,
 animo, & vultu hominis, qui ab exilio ad pa-
 triam, à laboribus ad requiem, à tempestati-
 bus ad portum, à pugnae discriminibus ad tri-
 umphum, & ad vitam à morte transeat. (*De
 Hier. Eccl. c. 7.*) *Veras DEI promissiones intuen-
 tes cum firma spe, divinòque gaudio ad mortis ter-
 minum, tanquam ad sacrorum finem certaminum
 rendunt, quòd certò sciant, sua omnia in tuto fo-
 re: viamque ad immortalitatem suam è propinquo
 spectantes, divina munera collaudant, sanctaque
 voluptate adimplentur, non jam amplius metuen-
 tes perverti.* Nec dissimilis de illorum excel-
 su cognatorum erat, amicorumque supersti-
 tum sensus; cum, ut idem Dionysius pergit
 describere, pro eo, ut deslerent vitâ functum,
 illius gratularentur felicitati: *Beatum ipsum,
 ut revera est, prædicant, quòd ad optatum bravi-
 um pervenerit: authorique victoriæ cantica grati-
 arum solvunt, sibi quoque similem sortem optantes.*
 Quos gratulationis, lætitiæque affectus non
 minùs graphicè exprimit Joannes Chryso-
 stomus in ævi sui Monachis, quoties illorum ali-
 quis

quis è præfenti ad futuram vitam migraret, his eos verbis describens: *Cæterùm mortem illi non ducunt, nec existimant mortem. Cum hymnis profequuntur abeuntes, eamque rem non elationem funeris, sed pompam, & præmissionem vocant. Denique, ubi quisquam nuntiatus fuerit mortuus, magna oritur exultatio, ingensque voluptas omnium. Imò nè mortuum quidem aliquis appellare præsumit, sed consummatum. Indè gratiarum actio sequitur, & gloria, ingensque lætitia singulis orantibus se hoc sine donari, sic exire certamine, à laboribus, sudoribusque quiescere, & Christum videre.* (Hom. 14. in Ep. 1. ad Tim.)

12. Jam verò congruentius rationi esse, ut spiritualis vitæ, intimæque cum DEO consuetudinis professores ità læto, & cupienti, quàm ægro, & trepidanti animo suum obitum spectent, pronum cuius intellectus est. Tum quia, qui perfectæ cum DEO conjunctioni studet, justam, ut vidimus, causam non habet expavescendi, sed desiderandi accessum ad illius iudicarium tribunal, prudentérque facit, si illud desideret potius, quàm timeat: tum quia, cum tanta animæ perfectio, quanta erga DEUM charitas est; quemadmodum majoris erga DEUM charitatis, sic & majoris perfectionis argumentum est, cum fiducia po-

tius, & hilaritate, quàm cum tristitia, & formidine adventum illius præstolari, juxta illam B. Joannis sententiam, (*Ep. 1. c. 4.*) *In hoc perfecta est charitas DEI nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii.* Qua sententia, & ratione utitur D. Augustinus ad fiduciam hujusmodi in auditoribus suis excitandam, dicens: (*Tr. 9. in Ep. Joa.*) *Quisquis fiduciam habet in die judicii, perfecta est in illo charitas. Quid est habere fiduciam in die judicii? Non timere, ne veniat dies judicii. Ergo fratres date operam in- tus agere vobiscum, ut desideretis diem judicii. Aliter non probatur perfecta charitas, nisi cum cœperit dies illa desiderari.* Alibi quoque nonnul- lorum excusationem refellit, qui ostendebant, ideo se dilationem mortis cupere, ut plus temporis ad proficiendum haberent: cum nôsse cæteroqui deberent, ipsum profectum eorum in eo esse, ut mori velint: suam hoc pacto argumentationem concludens: *si ergo verum loqui volunt; non dicant, ideo mori nolo, ut proficiam; sed ideo mori nolo, quia parùm profeci. Itaque mori nolle fidelibus non consilium est, ut proficiant, sed indicium, quod parùm profecerint. Proinde, quod nolunt, ut perfecti sint, velint, & perfecti sunt.* (*In Lib. Quæst. ex Mat.*) Præterquam quod, cum DEUS non alia nos de cau-
fa

fa creaverit, nisi ut cælestis sui regni æternum
confortes essemus, & ad illius possessionem
nobis promerendam homo fieri, & mortem
acerbissimam pati ultro voluerit, nec non ob-
viam, facilèmq; omnibus ejusdem assequen-
di rationem reddiderit, ac demum exhortatus
nos fuerit ad beatissimam hujusmodi sortem è
paternis suis manibus absque metu expectan-
dam: *Nolite, inquit, timere pusillus grex, quia
complacuit Patri vestro dare vobis regnum;* (*Luc.
12.*) qui post tot securitatis pignora magis ti-
met, nè indè excludatur, quàm se admissum
eò iri confidit, divinumque tribunal non ali-
ter, quàm ut illud Cassii Prætoris Romani,
(*Val. Max. L. 3. c. 7.*) dictum severitatis suæ
causâ *scopulum reorum*, cum horrore aspicit,
injuriam videtur profusissimæ cælestis sui Pa-
tris benignitati facere: habetq; causam timen-
di pœnam sanctæ olim Lidvinæ Confessario
irrogatam: (*Ap. Sangiur. p. 4. c. 7. Sect. 3.*)
quem legimus, in piaculari carcere diutiùs de-
tentum fuisse, quòd moriens divinam magis
severitatem pertimuisset, quàm confusus mi-
sericordiæ, & bonitati esset. Saltèm persua-
dere sibi potest, non perinde suis terroribus
se gratificari DEO, ac gratificentur, *qui dili-
gunt adventum ejus*, séque illi prompto, & hi-
la-

lari animo sistunt, non aliam expectantes à
 Judice tam benevolo, quàm vitæ, salutisque
 sententiam. Ad cujus rei, & dictorum ha-
 ctenus confirmationem utile erit audire, quid
 ipsemet B. Mathildi olim dixerit, quando his
 eam verbis affatus: *Certa fide crede, quòd ego
 te post mortem suscipiam, sicut Pater Filium suum
 charissimum: quòdque nullus unquam pater tam fi-
 deliter cum unico nato suo hereditatem divisit; si-
 cut ego omnia bona mea, & me ipsam tibi com-
 municabo; nè prædicta oratio ad ipsam tantum-
 modo videretur spectare, generatim subjecit:
 Quicumque hoc de bonitate mea firmiter, & humi-
 li cum charitate crediderit, beatus erit. (Blos. Mon.
 Spir. c. 11.)*

13. Si ergo & sat validas firmæ hujus, hi-
 larisque fiduciæ concipiendæ habemus cau-
 sas, & perfectioris charitatis ea specimen est,
 & DEUS illam peculiariter cordi habet, ac
 nobis commendat; cur, quæso, ipsi contra-
 rios diffidentiae, & timiditatis sensus fovere in
 nobis velimus: tanquam si plus momenti ad
 nos exterrandos haberent, nescio, quæ ex va-
 no conceptæ pusilli nostri animi species, quàm
 ad confirmandos tot, tamque eximia divinæ
 erga nos benevolentiae argumenta? *Quid tibi
 promisit DEUS, ô homo mortalis?* (ait D. Augu-
 sti-

stinus) quia victurus es in æternum. Non credis? Crede, crede. Plus est jam quod fecit, quàm quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promisit? Ut vivas cum illo. Incredibilius est, quòd mortuus est æternus, quàm ut in æternum vivat mortal. Jam, quod incredibile est, tenemus. Si propter hominem mortuus est DEUS, non est victurus homo cum DEO? Aut verò pro minimo habet DEUS hominem, propter quem mori voluit Unicum suum? Attendamus ad indicium dilectionis, & promissionis DEI. Tales arrhas accepimus. Tenemus mortem Christi, Tenemus sanguinem Christi. Promissum reddi dubitas, qui tale pignus tenes? (In Ps. 148. & Serm. 6. de Verb. Ap.) O amoris, & bonitatis pignora admiranda, inæstimabilia, quodvis pretium transgressa! Et quid tandem ad securitatem nobis sufficiet, si hic amor non sufficit? Quidve boni ab eo non sperabimus, qui adeò supra omnem spem nos dilexit? Numquid tanta amoris vis non valebit cor humanum, infirmitatibus prægravatum expergescere, atque à pusillanimitate spiritus liberare? Numquid poterit vel minimum mœroris vestigium in mente remanere post tantarum considerationem gratiarum? æquissima Laurentii Justiniani interrogatio est. (De Disc. & Perf. c. 16.) Ad liberandam Esther à timore, nè mortis ab Assuero damna-

re-

retur, fat fuit, hunc se illius fratrem palam tulisse, dicendo: (*Esth. c. 5.*) *Quid habes Esther? ego sum frater tuus. Noli metuere, non morieris!* Quidni ad nos quoque à metu solvendos, nè æternæ mortis rei in supremo iudicio fiamus, sufficiat Christum Judicem professum de discipulis suis, adeoque & de nobis esse, (*Matt. c. 12.*) *Ecce fratres mei?* Præsertim quòd super communia fraternæ, paternæque erga omne genus humanum voluntatis suæ documenta, alia itè plura edidit ad nos privatim spectantia: cujusmodi sunt, peculiari nos vocatione ad penitiorem famulatum suum accivisse: immunes tot annis à mortiferi criminis conscientia servasse: arcana inter orandum divini sui congressus jucunditate perfundere: & ad intimam secum, quasi amicorum, & liberorum familiaritatem admittere. Unde possumus apud nosmet ipsos statuere, qui adeò singulari benevolentia dignatus nos est, non eo esse animo, ut velit à conspectu suo æternum proscribere: argumentantes cum Samsonis matre, (*Judic. 13.*) *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum non suscepisset.* Ah non bene conveniunt hæc vitæ immortalis pignora cum æternæ mortis sententia. Quid opus erat studiosè adeò pro-

mo.

movisse incolumitatis nostræ negotium, si illud destinabat absque complemento relinquere? *DEI perfecta sunt opera*, in Deuteronomio legimus: (c. 32.) & B. Joannes Evangelista testatur, eum, *cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexisse eos.* (13.) Quando ita nobiscum egit, ut agere cum Electis consuevit; timendum non est, nè in animo habeat, nos damnare cum reprobis. *Quomodo deceret me, ut bene cepta tecum non optimo sine comple-*rem? ipsemet S. Gertrudi aliquando inquit, *cùm sollicitè ab ea rogaretur, nè in supremo vitæ exitu sibi deesset.* (Insin. L. 5. c. 28.) Quæ cum ita se habeant, quidnam servis DEI superest, nisi ut juxta D. Augustini monitum, (Serm. 176. de Temp. t. 10.) *Cùm jam tanta perceperint, per ea, quæ cognoverunt præstita, dis-*cant sperare promissa, & *DEI sui præteritam, præsentemque bonitatem, quasi futurorum teneant cautionem?* nimirum, ut freti tot ab eo acceptis quæ communibus, quæ propriis æternæ salutis pignoribus non aliter illius judicium expectent, quàm ut illius promissionum complementum, & suum ad cælestem illius gloriam ingressum? *Quis hinc anxietatis, & sollicitudinis locus est?* (libet cum D. Cypriano concludere) *Quis inter hæc trepidus, & mæstus, nisi cui*
spes,

Spes, & fides deest? Ejus est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire. Ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credat incipere cum Christo regnare. Si justus es, & fide vivis, si verè in DEUM credis; cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad Dominum vocaris, amplecteris? Mori tamen timeat, sed qui ex aqua, & spiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur. Mori timeat, qui ad secundam mortem de hac morte transibit. Mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, ut cruciatus ejus differatur. (De Mortal.)

14. Et hæc quidem dicta sint circa id, quod sub initio hujus capituli primo loco exposui, mortem videlicet hominibus sanctiorum vitam professis amœnum esse potius, & delectabile, quàm funestum, & terribile objectum. Sed quoniam horum etiam nonnullis, vel quod perfectam illam charitatem, *quæ foras mittit timorem*, nondum possideant; vel quòd angusti naturaliter, & subtimidi animi sint; haud facilè evenit, nullo metu angi circa rem tanti momenti, quanti est æterna animæ salus; probandum jam deinceps horum gratiâ suscipio, quod secundo itidem loco subjeci: nempe, quamvis non omni ambiguitate, & trepidatione circa sententiam de te in di-

quantumcunq; firmæ hujus spei nuntiū remittere, affectu sanè ignavissimo, & à communi hominum usu abhorrente: qui, licèt in navigationibus, in mercaturis, in præliis, aliisque id genus negotiis multò plùs anceps subeant rei, aut vitæ amittendæ, quàm spirituales viri in divino judicio damnationis discrimen, ob incertam tamen boni adipiscendi spem quævis ibi occurrentia pericula audacter contemnunt, séque ultro iis committere haud dubitant. Certè, si ingens miseria est æternis apud inferos flammis torqueri; non parvam felicitatem quisquam dixerit, Deum in cælo intueri, DEO frui, cum DEO æternùm regnare. Quin imò, si res justa lance expendatur, tantò ampliùs hinc boni, quàm illic mali est, quantò nativa supremi Judicis bonitas ad mercedes est, quàm ad pœnas reddendas propensior: adeò ut non desint graves Theologi, (*Pallav. de Act. hum. L. 1. n. 46.*) qui unius beati beatitudinem simul sumptæ omnium ad inferos damnatorum miseriæ præponderare affirmaverint. Si ergo, ubi etiam par boni, quod speratur, & mali, quod metuitur, magnitudo esset, imprudenter nihilominus ageret, qui, cum sit penè certus premi obtinendi, nec nisi leviter de subeundo alte-

tero dubitet; præ hujus odio, & timore tentare illius aleam refugeret; arguat hinc quilibet, quantò imprudentius sit, tali pacto agere, ubi bonum, quod abdicatur, tantò amplius malo est, quod timetur.

15. Et confirmatur adhuc validiùs argumenti propositi vis. Quia, si quævis metaphysica, & remota sempiternæ salutis ambiguitas rationabile nobis incitamentum averfandæ mortis præberet; non imprudenter agere existimandus esset, qui, quantum in se est, nunquam mori vellet. Nam, si incertum est hodie, quænam mortuo obventura in æternitate fors sit; eadem ambiguitas crastino itè die, eadèmq; rursus tertio, & nullo non deinceps alio futuri totius temporis die permanebit. Quamobrem, si hodierna ambiguitas satis causæ præberet, cur mori hodie nollemus; similis cujusque alterius futuri temporis ambiguitas sufficiens nobis causa esset, ut nullo unquam tempore mori vellemus. At, quidnam, rogo, aliud esset, mori nunquam velle, quàm æternæ beatitudini omnino nuntium remittere? & socordis illius servi verbis DEO dicere: *Timeo te, quia homo austerus es*; Domine, tam usitatum, & frequens tibi est animas damnare, tamque laboriosum, & ardu-

duum imbecillitati humanæ effecisti damnationem effugere, ut ego ad vitandum sempiternæ illius miseræ discrimen contentus ultro sim, & melioris fortis locò habeam, tua in perpetuum societate, ac cælesti gloria carere. Verbis enim verò, & ab omni rationis specie alienissimis, sed & adeò divinæ bonitati injuriosis, ut absque horroris sensu commemorare illa nequeam. Quæ tamen æquivalenter, & *in actu*, ut ajunt, *exercito*, promittitur, quicumque ex DEI famulis invitus, reluctansque, & quasi à licitoribus tractus ad tribunal illius proficiscitur, decretoriam accepturus æternæ suæ fortis sententiam: non advertens, si justa hæc essent sui animi sensa optabilius cuique homini futurum, non existere, quàm existere: nec proinde habituros nos causam, agendi grates DEO, quòd creati ab eo simus: cum in ea hypothesi majus nobis beneficium fecisset, æternum nos relinquendo in nihilo, quàm ad vitam educendo, ubi tam graviter periclitamur, nè in statum nihilo deteriorem prolabamur. Ah *sentiamus de DEO in bonitate*: considerantes, non eum esse immanem tyrannum, vel captiosum judicem, qui gaudeat nos culpæ reos deprehendere, ut possit damnare: quique ritu impij Caligulæ.

(Sunt.

(*Suet. in Cal. c. 41.*) non nisi obscurè suas nobis leges, quæque necessaria sunt ad salutem, proponat, & alias hujusmodi insidiosas artes adhibeat, tanquam tot tendiculas, quibus capti, in æterni exitii foveam inscii ruamus: sed contrà omnino esse amantissimū Patrem, qui non alia de causâ nos in lucem eduxit, nisi ut suæ nos participes beatitudinis faceret, nihilque optat magis, quàm ut omnes tanti boni compotes simus, nullamque ad suum tribunal afferamus capitalem noxam, quæ illo indignos nos reddat. Quamobrem, ubi ab hujusmodi noxis animam expurgaverimus, (quod & spirituali viro facillimum semper est, & jam pridem præstitum ab eo credi potest) *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ*, quo nomine appellari à justis meretur tribunal DEI, nostri haud minùs patris, quàm judicis, imò, ut addit S. Ambrosius, (*In Or. 2. præp. ad Mis.*) ità nostri judicis, ut noster simul advocatus sit: &, quando nobis videmur satis comparati ad salutarem promerendam sententiam, nè dubitemus, quin hac ipse dignaturus nos sit: utpote qui nihil pro ea à quopiam requirit, nisi quod faciendum esse ab omnibus palàm edixit.

16. Addo postremum, etiam seposita hæc dulci fiducia, & quasi certitudine æternæ salutis, charitatem, & reverentiam erga cælestem Dominum, si in nobis perfecta esset, suffecturam, ut, si minus gestienti, at æquo saltem, promptoque animo ad illius proficiscamur tribunal: parati, quidquid ipsi pro tot nostris contra eum maleficiis debemus, bona fide persolvere, & qualemcunque de nobis sententiam pro æquitate sua tulerit, submisso capite excipere: adorando illam, & si æternæ mortis sententia esset: neque solum non audendo quidquam contra hiscere, verum etiam plenissima cum approbatione ipsi subscribendo, *justus es Domine, & rectum judicium tuum*: B. Angelæ Fulginatis exemplo, quæ, cum retulisset, ostensam sibi à DEO perquam mirabiliter suorum judiciorum absolutissimam æquitatem fuisse, subjungit: (*In vit. Vis. 5.*) *Ex eo tempore tanta securitate, & quiete animi fruor, ut, si certissime scirem, damnandam me ad inferos esse, nullo pacto dolere de hoc possem, neque ideo minus, quam antea orationi, & aliis divini cultûs officiis vacarem. Neque enim DEI bonitatem in beatis cælitibus magis, quam in animabus orco addictis perspicio.* Ità profectò, statuat de nobis, quæcunque vult summus ille, &

rectissimus Judex. In omnibus æquè erit bonus, in omnibus æquè amabilis, in omnibus æquè laudandus. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* (Job. c. 13.)

CAPUT XXIV.

Respondetur illis, qui dicunt, non desiderari à se mortem, vel quòd pœnas post illam à piis quoque animabus solvendas formident; vel quòd in præsens ad eam satis parati non sint; vel ut opus aliquod permagni ad divinam gloriam momenti absolvant; vel ut plus temporis ad nova cumulanda meritorum lucra habeant.

HÆ postremæ sunt causæ, quæ spiritualibus viris superesse adhuc possunt, nè suum è præsenti vita ad æternam discessum desiderent: sed causæ nullius ponderis ad homines, qui ardentè DEUM amant, & beatam illius visionem alio quovis bono potiore habent à tam justo desiderio avocandos. Idque adeò propositum mihi est, hoc in capite ostendere: